

## Sermo

ipsum agni manducatio. cum subiungitur itaque epulemur. **A** Die ergo pascha nostrum. In hoc enim nostra preparatio datur intelligi sine qua non debet agnus innocens manducari. Nam pascha id est quod transitus. quod digne vult comedere agnum prius debet transire a malo ad bonum. sive a peccato ad perfectionem virtutum. Est tamen notandum quod multiplex est transitus. unus de malo ad malum. Secundus de malo ad pessimum. tertius de malo in bonum quartus de bono in bonum. quid est de bono ad optimum. primus est de culpa ad culpam. secundus est de culpa in infernalē penam. tertius de culpa in gratiam. quartus vero de gratia proficiente in gratiam perfectam. quintus vero de gratia in gloriam. Primus est fugiendus quod malus. secundus detestandus quod pessimus. tertius amplexandus quod bonus. scilicet quartus cum quinto simpliciter est optandus quod optimum sive summus. Primo dico quod transitus qui est de culpa in culpam et hic transitus est malus et fugiendus. quia sic transire est a bono deficere. est enim peccatum privatio modi speciei et ordinis naturalis ut Augustinus dicit. Item peccatum est aversio ab incommutabili bono et conuersio ad commutabile bonum. unde secundum Ambrosium. Peccatum est transgressio legis divine et divinorum vel celestium inobedientia mandatorum. et ideo peccare proprie loquendo non est aliud facere quam in bono deficere unde Augustinus quid est tenebras videre nisi penitus non videre. et quid est silentium audire nisi non omnino audire. Cum enim privatio omnino nihil sit ut philosophus dicit. et peccatum pura privatio sit ut Augustinus ostendit. Restat quod peccare non est aliquid facere sed solum ab eo quod est deficere sine causa nec tamen pro nihilo homo punitur scilicet ideo punitur quod non habet quod habere tenetur. Unde nec catulus esse cecus ante determinatum tempus sed post nonum diem vel tempus post quod ad videndum est ordinatus si ex tunc privatus est visu

dicitur esse cecus et ex tunc abicitur et respicitur quia non habet illud quod habere debuit. et sine quo inutilis esse probatur. De hoc ergo transitu malo exponitur illud Hieronimus. I. Grex perditus factus est populus meus de colle in colle transierunt. id est de culpa in culpam ierunt. Quis enim qui de colle in colle transit dum verbas delectabiles querit. sepe in latrones vel lupos incurrit. et propter hoc dominus. Luc. x. prohibuit hunc transitum discipulis quando ait. Nolite transire de domo in domum quod est enim de domo in domum transire nisi non posse in deo quiescere sed semper delectabilia querere. Sepe enim lupo dum carnem sequitur a venatoribus capitur et tenetur. Unde dicunt impij. Sap. ij. Transibit vieta nostra tanquam vestigium nubis. et sicut nebula dissolvitur que fugatur a radijs solaribus. **S** Secundus transitus est de culpa ad penam eternalem. sive de pena ad penam. Et hic pessimus et omnimode detestandus. et hoc dicit Job. xxiiij. Transibunt ab aquis inivium ad colorem nivium. Quis infelix est transitus iste ubi sub nullo tormento quiescitur. sed dum est sub uno alterum minus lesivum credit. ad quod dum pervenitur. iterum ad aliud properat. unde et dicunt illud Sap. v. Quid nobis profuerit supbia nostra. et divitiarum iactantia quod contulit nobis. transierunt omnia tanquam umbra. Utinam ista attenderent miseri quod diu sunt vivi. sed ita est ut brutus Gre. ait. Quia pena oculos aperit quos culpa claudit. unde et culpa dicitur oculos non habere. non quia non habeat. sed quod eos non aperiat. nisi pena mortis instante. An dices illa veniet nec diu tardabit. quando qui modo nolunt attendere. vellent mortem millesies sustinere. ut solum unam diem ad penam possent habere. ante igitur mortem fratres carissimi oculos aperite quod non erit utile postea aperire. Tertius transitus est de culpa ad gratiam vel de gratia ad gratiam et hic transitus est bonus. quod peccare dimissum

*Nota multiplex transi-*

*peccatum est nihil non facere  
et nihil hoc potest*